



QUI VITIO PACET ET CONVITIO!

103

TRACTATUS JURIDICUS,

9

De
CONVITIO QUOD
VERUM EST;

Injuria

Quem

PRÆSIDE

Nobilissimo, Excellentissimo ac Consultissimo,

DN. WILHELMO CRUSIO,

Philosoph. & J. U. D. hujusque in alma Electorali
Brandenburgica, quæ est Teutoburgi Clivo-
rum, Academia, Antecessore Ordinario,

Publicæ Eruditorum ventilationi sistit,

JOHANNES CONRADUS PEYERUS,

HELVETIO - SCAPHUSIANUS,

In Acroaterio Universitatis majori, ad diem
18. Julij, horis solitis.



DUISBURGI ad RHENUM,

Apud FRANCONEM SAS, Academ. Typogr.
Anno M. DC, LXXXV.

Generoso, Amplissimo ac Prudentissimo VIRO;
DN. DAVIDI PEYERO im Schneberg / Reipubl. Scaphusianæ Senatori Meritissimo, Supremo Armamentarii Præfecto, suo è Sacro Baptismatis fonte Susceptori fidelissimo, Patrono submissè honorando.

V E L U T E T

Generosis, Nobilissimis ac Prudentissimis VIRIS,
memorata Reip. frequentioris Senatus Assessoribus longè dignissimis,

DN. SOLOMONI PEYERO, h. t. Oeconomix Omnium Sanctorum à Secretis, Parenti suo, eo quo decet filialis observantiæ cultu æviternum venerando.

DN. GEORGIO STOKARO à Neuforen / Avunculorum Primo, Meccænati ad extremum usque vitæ halitum suspiciendo.

DN. HENRICO PEYERO im Hof / Domino Jurisdictionis in Büttenhart Gravissimo atque Æquissimo, Fautori suo religioso obsequio ad cineres usque colendo.

Hasce Studii sui Juridici primitias in sui studiorumque ulteriorem commendationem, & spem nunquam intermorituri favoris,

Humillima filialique manu

Consecrat,

JOHANNES CONRADUS
PEYERUS.



I. N. D. N. J. C.

TRACTATUS JURIDICUS,

DE

CONVITIO QVOD VE-
RUM EST.

PROOEMIUM.



Agna ubique veritatis vis est, nullibi tamen illustrior, quàm in hominum animis. Veteres eam Soli compararunt, credo, quia subinde humanam conscientiam colore in vultu depingit; rubore ingenuam, pallore ingemiscentem. Habet enim hoc, ut mille in animo testium vicem gerat, simul & aheneus innocenti murus, & noxis consternatio omni ictu fulmineo potentior. Nempe Divinæ particulam auræ vehit, quo auribus, quo præcordiis nostris obstrepat suo forti illo: Verum est. Nulla inde in jure actio, nulla persecutio vertit, quin hoc Præsidi, saltem dirigente, dirimi aveat. Quare hæc Alma recti Mater veritas, cum per omnes juris nostri articulos, fertili rerum indole vagetur, mirum, si non in Injuriarum quoque materia inter bonos fœdosque illustre aliquod juris discrimen desudet. Sanè delati ad Judicem convitii vix alia frequentior in jure excusatio auditur,

A

ditur,

ditur, quàm illa: esse dictum ita, uti est; nihil amplius, quam quod probari possit. Attamen non semper plena ad hanc lucem via ducit. Oppido verendum est, ne quis interdum inter suos causæ arbiter se offerat, cui cum Pilato hoc prius sciscitari opus sit: quid est veritas? Hæc res me monuit, cum omnino Exercitii gratia in publicæ Disputationis vicem, aliquod mihi elaborandum Thema esset, hoc maximè impræsens operam dare, ut quid juris obtineat in Convitio quod verum est, ad legum & rectæ rationis normam, qualicumque ingenii mei penicillo dextrè adumbraretur. Hoc ergò ut vitio liberum & convitio Deus esse jubeat, Veri ipse Autor Optimus, est quod ardentibus ab ipso votis anhelemus! Jam itaque sit

SECTIO I.

Terminorum Explicativa.

§. I.

Totum haud aliàs feliciter cognosci, quàm lustratis Partibus, quæ illud constituunt, rationis est: quod & mihi impræsens observandum duxi, jus convitii, quod verum est, repræsentaluro, ut terminorum, qui hoc thema componunt, sigillatim expositionem aliquam præmitterem. Sunt illi nobis duo: *Convitium & Veritas*; quorum hæc illud *Subjectum* suum, tanquam externa *qualitas* denominat.

II.

Convitium à conventu vocum appellari, quasi dicas *convocium*, Jctus statui in l. 15. §. 4. d. de Injur. Valla contra suspicatus à *Vitio* derivandum contendit. Nec Tertii desunt qui cum Festo Pompejo à *Vicis* suum ipsi Etymon arcescunt, fortè quod ibi multum fieri solet, in transeuntium cœtu concitatâ petulantis turbæ vociferatione, arg. dist. l. 15. §. 8, 11, & 12. Nostra unde dicatur impræsens

Vens haud adeo refert, dummodo fateri liceat, primam derivatio-
nem ceteris potiore videri. Certè illi mediæ, qua Valla sibi pla-
cet, vix est ut quis calculum suum dignè adjiciat; tam ob discrepan-
tem syllabæ quantitatem, quæ in *Vitio* brevis, longa in *Convitio*
deprehenditur, quàm quod non omne convitium cum vitio est
conjunctum, cum hæc vox non frequentius in malam, quàm bo-
nam aut indifferentem partem usurpetur; prout paulò post decla-
rabimus. In Jcti verò nostri derivatione, si quis omnino duram
Literæ O in I transmutationem notet, saltem illa salvari possit
regerendo, esse derivationem *Logicam* à re ipsa desumptam, quòd
verè convitium est convotium, ut sunt multæ in jure aliæ: v. gr.
Mutui; princ. Inst. Quib. mod. re cont. obl. Testamenti: princ. l. de
Testam. ordin. &c. quicquid tandem sit de Grammatico vocis de-
scensu & literarum apicibus, Juridica consideratione parùm dignis.

III.

Convitium accipitur I. *Formaliter & concretè*: cum qualitate ju-
ris morali, unde bonum esse vel malum intelligitur: Sicque nunc
in *bonam partem*: pro honestâ admonitione & increpatione; nunc
in *malam*, pro injuria. *Priori sensu* utitur Quintilianus ad Tripho-
nem Amicum: *Efflagitasti quotidiano convitio &c.* Et Cicero ad
Cornificium *Epistol. Famil. lib. 12. Meo justissimo honestissimoque*
convitio Te tuam dignitatem summa tua virtute tenuisse, provinciaque
honoribus amplissimis affectum, vehementer gaudeo. Quò & illud per-
tinet *Martialis lib. 7. Epigramm. de reditu Domitiani:*

Festa Coronatus ludet convitia miles.

Plura hujusmodi exempla vide sis apud Calvin. in *Lexico. Posteriori*
& pejori indole, frequentius nostra jura adhibent; ut in *leg. 15. §.*
3. & 11. D. de Injur. Convitium injuriam esse Labeo ait &c. *§. 1. l.*
eod. l. 8. D. de appell. & passim. II. *Materialiter & abstractè*: citra
designationem qualitatis alicujus morales, sensu ad bonum malum-
que indifferenti: pro nudo actû maledicendi à jure & injuria præ-
ciso, utriusque capaci. Quam verbi acceptionem, præter usum lo-
quendi ubivis obvium, etiam prodit *l. 3. §. 1. D. de Injur.* Impu-
beres doli necdum capaces si convicium dicant injuriam fecisse non
videri. Item arg. *l. 15. §. 5. D. eod. l. 3. D. de lib. & postum. & sim.*

A 2

Estque

Estque hæc posterior acceptio hujus loci. Nam convitium quod veritate sustinetur, quale legibus sit, hîc demum indagandi locus & animus est, ideo jus esse aut injuriam, neutrum certe in voce supponi debuit.

IV.

Illud interea non insuper habendum, Convitium in jure nostro vel usurpari *strictissimè* pro maledicto quod est cum vociferatione. *dict. l. 15. §. 11. D. de injur.* Vel *strictè* pro maledicto quovis modo ore prolato. vid. *l. 8. D. de Appell. l. 3. §. 1. D. de Injur. l. 25. D. de Procur.* vel tandem *latè* pro omni maledicto verbis expresso, seu orali, seu scripto. *l. 3. D. de lib. & postum.* ne hujus quidam discrimine habito, præsentine an absenti factum esse dicatur, ad ejus domum aut aliorum aures. *dict. l. 15. §. 7. D. de injur.*

V.

Hoc itaque sensu convitium definire est, *Dictum quo de altero male sentitur.* Vel expressius: ut sit *alterius dehonestatio vitium verbis ipsi objiciendo facta.*

VI.

Dicti appellatione mentis ipsius orationem intelligimus, oris aut calam iquavis verbali expressione declaratam. Dubium inde occurrat: *num etiam in primâ mentis operatione, quam apprehensionem simplicem Logici vocant, convitium fieri possit?* V. c. concipiendo in Titio furtum, adulterium, &c. Quod illico negandum, quia intellectus simpliciter apprehendendo nullum judicium edit, nec affirmando nec negando. Convitium vero Titio nullum fieri posse, nisi dum aut quid de ipso malum affirmatur, aut bonum negatur, re ipsa liquet. Accedit apprehensionem, qua res primò intellectui concipienda objicitur, esse actum voluntatis imperio absolutum, eoque considerationis moralis ex se incapacem. Quin imo sive quis solum Titium, sive solum furtum concipiat, sive Titium & furtum simul, quamdiu hæc non inter se conjungit, affirmando, Titium esse furem, non utique convitiabitur, nec Titius habebit, quod furti se insimulatum queratur. Hac autem copulatione facta, jam ille conceptus furti in Titio non apprehensivus erit, sed integra in mente enunciatio. Unde judicium esto quid de verbo
orali

Orali sentiendum, quo fortè uno miles transeuntem Barbaram comitatur, ingeminando illud: Meretrix, Meretrix. Equidem hic unus esse terminus videtur se solo convitium haud pariens. Verùm subjectum & copula ex mente dicentis veniunt supplenda, cui, dum orationem internam formavit, etiam verè adfuerunt, quantumvis in proloquendo omiſſa fortè, aut callidè diſſimulata, conf. l. 5. §. 9. verb. sine nomine. & l. 6. D. de Injur.

VII.

Conceptus, qui differentiam in definitione constituit, declaratione haud adeo indiget; *Malum vitiumque*, quod objici posset, intelligimus seu *natura*, seu *morale*. Illud corporis animique est defectus: ut luscum, claudum, mentis non satis compotem esse. Hoc probrum & morum turpitudine cluet; Iterumque vel Jure Civili tale est, ut tutelæ judicio damnatum esse, vel naturali, exemplis ubique obviis. l. 42. D. de Verb. Signif.

VIII.

Accedimus nunc ad *Veritatem*, alterum Thematis nostri terminum; quæ alia est *Metaphysica*: Congruentia rei cum intellectu, maximè Divino, vel ut recentiores exprimunt: Negatio apparentiæ, qua quodlibet Ens ita est, ut esse debet, ut naturæ ejus principia ferunt. Ita aurum verè aurum est, & cuprum, licet pro auro venditatum, verum nihilominus essentia sua cuprum. Alia *Logica*: Congruentia intellectus cum re; quando ipse rem ita concipit, ut est. Quo tamen & referenda conformitas verborum cum re, quia verba surrogantur loco conceptuum, ut id alteri repræsentent, quod ex ipsis conceptibus, si hos immediatè ipsi imprimere liceret, aliàs novisset. Unde horum una veritas intelligitur. Alia denique *Ethica*, quam vulgo ponunt in congruentia verborum, aliusve signi manifestativi cum mente; Quanquam, meo judicio, satis hoc absone; cum nullum naturæ jus, nulla ratio me adigat, ut quocunque loco & tempore sollicitè oculato & sciscitanti animi mei secreta pandam; maximè ubi honestas suppressere jubet. Alioquin Viro bono nunquam honestè liceret simulare. Quomodo omne medium aliquem probandi, pericula capiti aut officio nostro imminencia declinandi, urbanè jocandi & delectandi; verbo: omnis dolus bo-



nus, omnia in bello strategemata, Politica omnis orbe eliminare-
 tur; refragantibus ipsius Dei & justorum hominum exemplis. *Gen.*
6. 22. vers. 1. 2. & seq. Luc. 24. v. 28. Gen. 12. vers. 10. & 20. v. 2.
& 5. Exod. 1. v. 19. & c. §. 1. Inst. Quib. mod. toll. oblig. Potius itaque
 veritatis Ethicæ natura collocanda videtur in mediocritate, animi
 nostri sensa alteri repræsentandi, prout ipsi ea intelligendi jus, &
 nobis aperiendi obligatio incumbit. Idque hoc fine, tum ut com-
 modum, quod ex probè percepto animi nostri sensu ferre eum
 convenit, consequatur, tum ut damnum evitet, in quod aliàs si-
 mulata oratione nostra injustè detruderetur. Vel inde patet falli
 eos, qui credunt falsiloquium & mendacium coincidere, & semper
 mentiri, qui aliquid præ se fert à sententiâ animi sui discedens.
 Nempe suâ natura turpe esse autumant, aliud dicere, quàm sentias.
 Re autem penitus expensâ, falsiloquium est, ita adhibere verba,
 ut alter inde diversum ab internis meis cogitatis sensum hauriat. At-
 qui si alteri nullum jus est animi mei sententiam liquido sibi com-
 pertam habendi, neque ipsi ex dissona repræsentatione aliquod
 damnum præter meritum infertur, nulla apparet ratio, quare, si
 ita mihi expediat, ego istis verbis ad alterius magis quam meum ar-
 bitrium uti debeam. Quin potius mendacis est, ruptis justitiæ ac
 prudentiæ repagulis, cuncta levi ore effutire, quæ in Dei hono-
 rem, evitandi scandali causa, & commodum tam nostri ipsius quàm
 proximi honestas premere suadebat, vel prorsus etiam dissimula-
 re. Verùm in his prolixius versari præsentis instituti ratio non si-
 nit. Consulatur pluribus Puffend. *de Jure Nat. & Gent. lib. 4. c. 1.*

IX.

Nostræ impræsens Considerationi veritas *Logica* servit, ea præ-
 fertim quæ congruentiam infert verborum cum re. Unde Convi-
 tium hîc illud verum audit, *quod re ipsa ita habet, uti verbis obje-*
ctum est. Cum verò in jure nostro pro vero quid non reputetur,
 nisi & probari possit, hinc spectato judicii exitu verum convitium
 istud demum censebitur, de cujus objecto, quod re ipsa ita com-
 paratum sit, legitimis argumentis Judici constare potest.

SECTIO

SECTION II.

Propositi Thematici Definitiva.

Non instituti est nostri nec propositi thematici ratio patitur, cuncta, quæ in injuriarum delicto occurrunt, considerandi momenta, sede suâ extracta huc ad expendendam veri convitii naturam deferre. Nihil enim faciunt ad repræsentandum illam externam convitii formam, sub qua impræsens spectatur, nihilque peculiare suggerunt, in quo se veri indoles aliter quàm falsi haberet. Sola Formæ & Effectus consideratio suppetit, quæ diversum hîc inducere videntur; hoc ipso digna, ut discreta impræsens tractatione repræsententur.

PUNCTUM I.

DE FORMA.

An Convitium quod veritate nititur sit Injuria?

§. I.

Injuriam, ut delicti cujusvis malitiosi, forma duobus constat: *noxia* & *dolo*. Quæ circa rem præsentem speciatim insigniuntur: Animus injuriandi & Læsiō contumeliosa. Utroque in hac nostra Causa reputato, sua sponte, an verum quoque convitium injuriæ indolem sustineat, inde enitescet.

II.

Animum injuriandi non statim hoc ipso à convitio excludi, quod veritas dicto subest, haud difficulter credo liquet. *arg. l. 5. C. de injur. & art. 110. in fin. Const. Crim. Carol.* Externa enim facti qualitas hominis propositum, quod in mente est, non mutat. Nec rarum in orbe malitiæ genus: homines de turpi aliorum vita & scelerate factis sibi gratulari, quod aliquam ejus sigillandi materiem inde sibi consecuti esse videntur. Non leve tamen discrimen hæc in parte veritas inducit. Nam etsi omne verbum naturâ sua contumeliosum à doli capacibus regulariter animo injuriandi prolatum esse præsuml-

præsumitur, ita ut qui hunc negat, eum abfuisse ostendere debeat; *dict. l. 5. C. de Injur.* & ne præmissa quidem aut subjecta protestatio, v. g. salvo honore tuo, hanc doli præsumptionem tollat, Harprecht. *ad princ. Tit. 1. de injur. n. 7.* Carpzov. *Pract. Crim. quest. 97. n. 2. & seqq.* Math. *de Crim. tit. de injur. n. 10. & o.* Secus tamen obtinere dixerim in Convitio veritate suffulto, quia doli suspicio dictionis fundamento, quod illa in re habet, eliditur; prout infrà pluribus declaratum ibimus. Idque cum primis locum habet, si quæ probri emittendi causa veritati adminiculetur. Duplex enim præsumptio fortior vincit unam debiliorem. Menoch. *Præf. lib. 1. quest. 30. n. 4. & alleg.* Huc pertinet, verborum indifferentium injuriam non præsumi, nisi probetur. Peretz. *in C. tit. de Injur. n. 2.* Schneidew. *ad §. ult. l. h. t. n. 3. vers. si verò. & alii fuse citati à Philip. Usus Pract. lib. 4. Eccl. 3. n. 4.* Verba autem aliàs contumeliosa nunc indifferentia reddit veritatis & causæ concursus; quia minimùm æque rei exprimendæ ac contumeliæ inferendæ causa dicta esse possunt.

III.

Ejusmodi causæ in vita civili quàm plurimæ occurrunt. Quæ in alterius caput meritum libero ori convitium eliciant. Ima se offert sui juris persequendi tuendique gratia. Hoc cum agitur, sive in judicio, sive extra illud, convitii veritas doli præsumptionem excludit. Nam meritò hoc evenit, ut quod quisque ob tutelam corporis aut juris sui fecerit, hoc jure fecisse æstimetur. *l. 3. D. de Just. & Jur.* In judicio multis modis accidit, (1.) *ratione Judicis*: dum contra suspectum excipitur, aut ille inhabilitatis arguitur. It. si ejus sententia tanquam iniqua aut planè nulla dignè accusatur. Ne objectum corruptionis & sordium sæpe & repetundarum crimen nunc memorem. Usu tamen fori ob publici officii dignitatem, abundantis cautionis ergo, quæ non nocet, in his & geminis casibus, receptum est, aliquam protestationem præmittere, ut, salvo honore Domini Judicis, vel huic similem aliam, (2.) *Ratione partium litigantium*, qui pro tuendo jure suo actionum & exceptionum famosarum justa retributione juxtà sibi parcunt; ab injuriarum hæctenus actione securi, quoad intentionis suæ in judicio probandæ necdum spe & ope

ope exciderunt. Prorsus enim qui jure publico utitur, non videtur injuriæ faciendæ causa hoc facere. Juris enim executio non habet injuriam. l. 13. §. 1. *D. de injur.* Hinc quæstio intentati in judicio criminis actioni injuriarum, quæ ejus ultionem præfert, præjudicium facit, quoniam ab illius demum exitu & probationibus dependet, num aliqua eo nomine injuriarum actio competat. l. 10. *C. de injur.* Carpz. *Pract. Crim. quest.* 95. n. 48. Interim cautio hodiernis moribus præstatur de injuriis & expensis in casum criminis non probati. *Const. Car. art.* 12. *Theodor. de Crim. Cap.* 4. *Aph.* 6. Sunt tamen quædam personæ quas jus nostrum intuitu singularis reverentiæ, quæ illis vivis mortuisque debetur, famosæ & actionis & exceptionis compellatione, saltem in causa Civili, exemit, ut sunt Parentes, Patroni, Præceptores, Dominus Feudi, Magistratus & alii, contra quos liberis, libertis, ceterisque subordinatis personis, loco actionis vel exceptionis de dolo, de vi &c. honoratiori in factum remedio utendum est. l. 4. §. 16. *D. de doli mal. & met. exec.* l. 1. §. 43. *D. de vi & vi arm. & arg.* 2. *Feud.* 33. §. *similiter* 2. *junct.* l. 10. §. 12. *D. de in jus voc.* *Conf. speciatim de Domino feudi Struv. Synt. Feud. c.* 11. *aph.* 3. *num.* 1. Unde etiam est, quod Parens ac Patronus à juramento calumniæ excusantur. l. 8. §. 5. *D. Qui satisd. cog.* velut & illud, quod uxor, quæ divortii causas quasdam subripuit in honorem præteriti matrimonii non actione furti sed rerum amotarum convenitur. l. 1. l. 17. & *tot. tit. D. de act. rerum amot.* Quorum omnium non hæc est ratio, quasi in causis illarum personarum veritas probri juris sui exequendi gratia ab altero emissi minùs eum ab injuria liberet quàm alibi, sed quòd personas enumeratas insuper sanctè reverenterque haberi jura volunt, ita ut quamvis flagitia sua non immerito audiant, ab illis tamen ea ipsis objici, à quibus vel ipsius vitæ vel alterius inæstimabilis beneficii gratiam reposcunt, prorsus nefas indignumque habeatur. (3.) *Ratione Procuratorum*, qui falsi vel infamiæ, similique probrosa licet exceptione sine fraude à judicio repelluntur. §. *ult. l. de Exc. c. infames* 2. *Quest.* 7. *C. III. Ord. Cam. part.* 1. *tit.* 18. (4.) *Ratione testium* contra nos in judicio productorum, ad quos à testimonio repellendos, vel saltem fidem eorum extenuandam

B

quodvis

quodvis in ipsis probri genus, dummodo veri & quod probari possit, citra injuriæ suspicionem licitè in medium protrahitur: velut communem hac de re omnium sententiam refert & suo suffragio comprobatur Farin. *de Crimin. quest.* 109. n. 247. ut & num. 232. & 233. Et de Judiciæ Cameralis observantia testatur Gail. 2. *Obs.* 99. *in fin.* Quid vero si quis testi in judicio objiciat crimen, quod tamen non plenè sed semiplenè tantum, puta per unum testem, probavit, ane injuriarum actioni subjicietur? Subjici verisimilius esse, haud secus ac si omnino nihil probasset, *arg. l. 13. §. 3. & l. 15. §. 29. D. de Injur.* censet Harpr. *ad §. 1. tit. I. de Injur. num.* 113. Mihi contra videtur; ob deficientem injuriandi animum, à quo ratio subjecti negotii, quod pro defensione geritur, accedente semiplenæ probationis autoramento reum purgare videtur. Nam ignoscendum ei, qui non dolo & falsi conscius sed nimia credulitate arripuit, quod defensionis suæ conducebat. *l. 1. §. 3. ad SC. Turpil.* Et sanè si in jure juramentum aut fama à fide dignis orta à calumniæ suspicionem liberant, quidni etiam unius probati testis autoritas, simul collimantibus substrati actus indicis, quod crimen non ex alia quàm necessariæ defensionis causa exprobaverit. *arg. l. 33. D. de Injur. conf. in simili facti specie haud dissimiliter ratiocinantem Fabr. in C. tit. de Inj. def. 5. cum Clar. in Pract. Crim. quest. 62. num. 8.* Et nescio annon semiplena illa criminis probatio testis istius fidem Judici reapse fecerit minorem. Jam itaque non frustra testi crimen objecit, què injuriæ pœnam luat? Idque sine dubio obtinere dicam, si conventus insuper animum juramento exculpate sustineat. Eum quoque excusari qui testem de crimine infamavit cum rumor saltem vel objecti criminis conjecturæ existerent, ex Grivel, *decis.* 100. statuentem inveni, Tuld. *ad Cod. tit. de Injur. n.* 3.

IV.

Par extrajudicialis convitii ratio viget, quod quidem juris sui tuendi causa profertur, ut doli præsumptionem excludat. Etsi enim Juris Autores causam hanc defensionis ferè ad judicium tantum referunt; nihil tamen in re jureve fundamenti est, quare non idem & in extrajudicialibus obtinere debeat. Quid enim si coram domesticæ litis arbitro similiter contra testes excipiatur? Si prola-
to chi-

to chirographo debitum exigenti reponam ab ipso adulteratum esse?
 Quid etiam si de fratris mei hereditate testamento sibi relicta domi
 meæ me interpellet quis, cui præteritus ego jure respondere queam:
 Spurius vel infamis es? *l. 27. C. de Inof. Test.* non credo, si id vere
 dixi, tam iniqua esse jura nostra, ut injuriæ noxiam mihi impin-
 gant. Quod si ergo juris rationem indagemus, quæ Doctores mo-
 vit, sic de judicialibus actibus statuendi, ea est, quod in his casibus
 probrum objiciens non tam convitii consilio, quam ex competen-
 ti facultate & necessitate defendendi juris sui per remedia jure licita
 illud objecisse censeatur; Ut sanè injuriam non facit, qui jure suo
 utitur. *l. 55. D. de Reg. Jur.* Quæ ratio judicio longè latior est, &
 in omnibus extrajudicialibus similiter se habentibus æque procedit.
 Quod partim etiam observarunt Menoch. *Cons. 107. n. 6.* Philip.
Us. Præct. lib. 4. Ecclog. 20. num. 10 & seqq. & impr. Struv. *Dissert.*
Crim. 3. §. 3. & Peretz. *ad C. tit. de injur. n. 4. & 5.* ubi eleganter
 differit: in talibus dolum non esse præsumendum: Habere enim
 objecta alium finem, quàm nocendi, videlicet removendi adversa-
 rii & ejus dicta infirmandi. Huc etiam pertinet *notab. text. in l. 3. §.*
7. ubi Gloss. D. de incend. ruin. Quo loci decidit Ulpianus, eum qui
 ob causam incendii domus suæ vicini domum dissipavit, non teneri
 vicino nec criminaliter, nec civiliter, cum id non egerit, ut illi do-
 mino dissipatæ domus injuriam vel damnum afferret; sed ut pro-
 priam tueretur. Verba sunt *Menochii* in similis facti decisione *ibid.*
versantis.

V.

Duo autem præcipuè casus se offerunt, quibus sui tuendi gratia
 fieri potest, ut quis alteri rem turpem vel contumeliosam, quæ ve-
 rè in ipso est, exprobet. Iº. Contra injurias & convitia ipsius,
 quibus nos iniquè impetit, reponendo vulgare illud: *tu mentiris,*
 aut quodvis aliud verum opprobrium, quod fidem & existimatio-
 nem ipsius infringendo, nostram hoc ipso tueri videbitur. V. gr.
 Quicquam rei turpis falsò in te advertenti, si verè regeras: luscus
 es, oculi te tui fefellerunt; item criminis iniquè te accusanti si re-
 spondeas: non mereris fidem; fur es, Aleator, prædo. Quâ in re
 non est necesse, ut quis moderamen illud non excedentis maledi-

B 2

cti, quod

NB
 Et, quod in injuriarum retorsione Doctores aliàs requirunt, sollicitè observet. Injuria enim provocatus, si probrum quantumvis diversum reponat, ejus veritate omnimodo excusatur. Harpr. ad princ. l. tit. de inju. n. 7. Farinac. dict. quest. 105. num. 249. & 245. cum alleg. ubi & præjudicium refert ex Ursil. in addit. ad Afflict. decis. 206. n. 13. Quidam Fabius Dulcius provocatus dixit procuratori suo, quod esset proditor, quia articulos suos parti adversæ demonstraverat; & quia verum dixerat, fuit per sacrum Consilium absolutus, quamvis antè plures sententiæ eum condemnaverant in pœnam 200. ducatorum. Merito enim justa probra sua recipit, qui falsa per injuriam alteri objecit. Et sibi imputet, talem se cum sciret, quare calorem alteri movit. Idque præprimis evidenter procedit, si illius ipsius injuriæ nomine, quæ fuit illata, convitiis objurgatio fiat. V. g. Verbera injustè inferenti, si animo commotus oggeras: verberasti me ut nequam, instar scelesti latronis. Quod si responsum ad verba lacescentis bellè sequatur accommodum, tum nescio an non insuper & argutiæ laudem mereatur; quamvis diversum crimen contineat. Lepidum hujus exemplum prostat in Senatore Catulo, cui obloquenti cum diceret Philippus: *Catule quid latras?* respondit: *Furem video.* Cicer. lib. 2. de Orat. Ignoscendum enim ei qui pudorem suum purgare voluit provocatus, l. 25. D. de Proc. l. 14. §. 6. D. de bon. libert. Et hæc juris est regula: non is qui per iram aliquid facit, sed qui alium ad iram provocat, injuriæ princeps & principium habetur. leg. 52. §. 1. D. ad Leg. Aquil. & DD. in eam, inter quos Brunnem. n. 5. cum alleg. Hæc justæ defensionis ratio etiam militat in casu, quo tertius quis alterius erga me improbè, quasi probè dicta factaque ad mei invidiam laudat & approbat. Merito enim tunc in mei defensionem verioribus & suis rem coloribus repræsentando replico: esse verbum potiùs injuriosum, factum impium & sceleratum &c. 2^{do}. In causis Civilibus: sive competens jus nostrum persequendo, sive alterius petitioni contradicendo, quantumvis nostra istæc allegatio in ipsius probro se fundet. V. g. Si privatim alium crediti mei fidejussorem mihi constitui velim, quia prior idoneus esse desiit aut solum versurus dicitur. Item, si quis filio paternam hereditatem exigenti objiciat

objiciat nativitatem illegitimam, aut exheredationem justam, suis sibi flagitiis attractam. Sic & possessionem suam alleganti impunè regeritur, quod vi aut clam eam invaserit.

VI.

II^{do}. Convitium sequitur, corrigendi emendandique causa emissum. Ab hoc quoque veri fides malitiæ suspicionem arceat. *l. 15. §. 38. D. de Injur. & l. 5. §. 3. in fin. D. ad Leg. Aquil.* Unde vitio minimè cedit Parentibus & Magistris, si liberos aut discipulos suos verbis quoque atrocibus acriter objurgent, hocque modo ab omni scelere & peccandi effrenata libidine arceant, *l. 16. §. 2. D. de pœn. cit. l. 5. §. 3. & seqq. ad Leg. Aquil. l. 13. §. 4. D. locat.* Idem esse juris Magistratui in subditos, *l. 33. D. de injur. & dict. l. 16. §. 2. de pœn.* Dominis in famulos & ancillas, *l. 7. §. 2. vers. Ceterum. D. de injur.* prorsus dubio vacat. Sed quid de marito? Hujus etiam potestate & officio contineri, ut uxorem pro re nata verbis corrigere & objurgare possit, meritò censet Harpr. *ad §. 1. Inst. de inj. n. 23. ex Lb. & aut. fusè ibid. cumulatis.* Quod autem de jure addit moderatè eam verberandi, societatis inter pares, & ejusdem carnis, quam nullus suam unquam odio habuit, ratio haudquaquam permittit. *Eph. 5. v. 25. 28. & 29.* Concionatores quoque si pro concione alicujus vitia notarunt, corrigendi potius quam injuriandi animo id fecisse, haud dubie præsumendum est. Munus enim, quod sustinent, hominum peccata arguendi ipsis necessitatem imponit *Esa. c. 58. v. 1. Ezech. c. 33. v. 7. 2 Tim. 4. v. 2.* sed quousque hac in re impunè procedent; num personam nominatim quoque perstringere ipsis licebit, aut tamen ita graphicè depingere, ut quis sit, in quem verba tendunt, satis quisque percipiat? Ardua hæc quæstio est, nec decisu facilior. Ego hîc, salvo prudentioris judicio, ante omnia distinguendum puto inter locutiones sarcasticas, & sæpe tantum non scurriles, quibus persona magis quam personæ vitia perstringuntur, subinde & ipsius naturæ defectus, si non etiam novercantis fortunæ odia exprobrantur; & serias peccatorum reprehensiones, gravi, ut decet, stilo & zelo profusas. *Priores à suggestu abesse decet longissimè.* Pungendi enim naturâ sua non emendandi usum habent. Cujusmodi si concionator effutierit, in-

juriae poena magis dignus quam alius censebitur. l. 8. D. de Episc. & Cler. vid. arg. l. 32. & l. 15. §. 38. verb. contra bonos mores verberaverit, D. de Injur. l. 5. §. ult. & leg. seq. D. ad leg. Aquil. Posteriores quod attinet, interesse puto, (1) An flagitia, quae taxantur, sint manifesta & vulgo nota, an verò paucis cognita in obscuro agant. (2) An qui illis patrandis operam navant, leni admonitione corrigibiles videantur, & in viam redituri; an obducto callo agant pertinaces, vitiorum infamiam, ut nonnunquam fit, in eximia laudis ac gloriae suae parte reputantes. Delictum vulgo notum, maximè quod in conspectu omnium & Reip. commissum, cum sui exemplo alios invitare possit, si pertinacia delinquentis & obstinatus ad progrediendum animus concurrunt, non immerito in facie Ecclesiae coram omnibus delineatur ac pertunditur, etiamsi futurum sit, ut delinquentis persona inde appareat & dignoscatur, exemplo Pauli ad Gal. cap. 2. v. 11. 13. & 14. & Johannis Baptistae Marc. c. 6. v. 18. Quin ad imitationem ipsius Christi, Archipastoris nostri, Joh. 8. v. 44. & Matth. 23. v. 16. 17. 23. & 33. Ita tamen ut ubique temperetur à verbis incivilibus & inhonestis, quae à suggestu jam supra amandavimus. Circa alterum delictorum & delinquentium genus, objurgatione duntaxat generali & tectius versandum est, adhibitis illis correctionis gradibus, quos Christus commendat Matth. c. 18. v. 15. Alioqui intempestiva diffamatio injuriae labe ac suspitione minimè vacabit; Lb. ante cit. & Recess. Imp. zu Speyer. §. Damit aber 41. verb. sondern dem Göttlichen Wort gemäß und NB. züchtiglich alles das lehren und ermahnen etc. Denique tria notamus Pio Divini verbi Praeconi hac in re antiquius semper cavenda, (1) ne ex amarulentia, invidia, odio aut privato aliquo affectu quicquam in aliquem detorqueat. Hoc ubi fit; convitiandi consilium & libido haud aegrè se prodent. Et hinc cumprimis (2) Ne privatae sibi litis cum aliquo dissidium in occasionem trahat publicè pro concione in illum debachandi, illius personam vel explicitè nominatam, vel implicitè notatam. Impudens hæc est maledicendi temeritas, quibusdam Concionatoribus supra modum familiaris, testibus actis, quae subinde hujus querelae ad Facultatem nostram appellunt. (3) Ne præconcepta aliqua opinione ex
yulgi

vulgi rumore aut vana persuasione imbutus, temere falsa pro veris effutiat, & ex cathedra non sine pudenda levitate quempiam præter meritum traducat ac innocentem sceleris alicujus reum agat. Hæc enim qui audet veri fide in convitiis suis destitutum haud dubiè injuriarum judicio levitatis & temeritatis suæ pœnas dare convenit. Confer fuse hanc materiam tractantem Harpr. ad §. 11. *Inst. de injur. n. 31. & multis seqq.* Vicina superioribus quæstio hæreat de Satyricis Poëtarum Carminibus, num probri veritas doli ab illis præsumptionem avertat? Quod olim Horatio visum *Lib. 2. Serm. Sat. 1. in fin.* in hunc modum canenti:

*Si mala condiderit in quem quis Carmina jus est
Judiciumque. Esto, si quis mala: sed bona si quis
Judice condiderit laudatur Cæsare: si quis
Opprobriis dignum laceraverit integer ipse,
Solventur risu tabula, tu missus abibis.*

Juvare illos possit, quod corrigendi emendandique gratia scripta esse videntur. Verum hodie in nostra Rep. iudicium de moribus, nisi fortè in ludo literario, Poëtis non committitur.

VII.

Personæ hæctenus enumeratæ & si quæ sunt similes, ratione officii ad corrigendum & objurgandum sunt obligatæ. Ceteris etsi non idem jus est, fatendum tamen, cuivis viro bono & virtutis amanti posse id competere, ut pro re natâ vitiis hominum in Rep. pia dehortatione intercedat. Quare & in his si corripiendi & corrigendi consilium ex circumstantiis & substratâ negotii materia apparet, pari modo dicendum est, in vero opprobrio finistram animi injuriandi præsumptionem cessare. Exemplum non inelegans suppledit Faber. *in Cod. Tit. de Injur. def. 9. Cum mulier quedam pio affectu mota persequenti alii criminis vindictam, Sacrosanctæ hebdomadæ tempore objecisset, ipsum indignum esse qui ad Divini convivii epulas admitteretur; sed dignum potius, qui ut canis à Christianorum consortio removeretur; Putavit Senatus cum ea mitius agendum, quod licet nimis incivilliter, adeoque injuriosè locuta fuisset, Christiani tamen officii exhibendi potius quàm injuriandi animum habuisse videretur.* Penitus hæc absolvenda mulier fuisset, si verbis magè temperatis objurga-

objurgationem suam peregisset. Hoc enim, (quod nunc oppido notandum,) justi discriminis intercedit inter personas, quibus corrigendi & emendandi jus muneris sui ratio permittit & alias, quòd illis verba quoque aspera & duriora adhibere in vitio nunquam ponatur. His, si injuriæ suspicionem declinare velint, verbis utendum sit temperatis, civilibus & pietatis, quem præferunt, affectum pleno ore spirantibus. Conf. *l. unic. C. de emend. propinq.*

VIII.

III^{ta} denique causa succedit, manifestandi criminis, quod novisse Reip. interest. disert. *l. 18. D. de Injur. Eum qui nocentem infamavit, non esse bonum æquum ob eam rem condemnari. Peccata enim nocentium nota esse & oportere & expedire.* Sub quo censu merito & ebriositatem & alexæ lusum & cuncta sine discrimine flagitia complector, quæ publicam coërcitionem poscunt, ob quam revelari Reip. promiscuè interest. Hoc itaque casu, sive in judicio, sive in contentionis calore extra illud objectum crimen fuerit, dummodo verè, doli & injuriæ præsumptio exulat. Atque huc unanimiter calculum suum Doctores apponunt. Wurmser. *Lib. 1. Tit. 47. Obs. 6.* Myns. *Cent. 4. Obs. 4.* Struv. *Dissert. Crim. 3. §. 4.* Ubi tamen illud singulare (1) Quod in hoc casu injuriarum pœna cessat, etiamsi malevolentia aut pravæ intentionis aliquid irrepsit, uti id merito defendunt Fachinæus *Controv. Juris Lib. 9. c. 10.* Matth. *de Crimin. Cap. 4. n. 8.* Harpr. *ad §. 1. Inst. de Injur. n. 101.* Tuldén. *in C. Tit. de Injur. num. 6.* Quia alleg: lex 18. se non fundat in defectu animi injuriandi, de quo nulla fuisset singularis dicitur ratio, sed in utilitate & bono publico, quod tanti est, ut omne, quicquid adhæret, sequioris vitii sanet. Quoniam jura non sinunt idem publicè utile & simul pœna dignum videri. *arg. l. 1. C. de Furt. & serv. corrupt.* Et hoc ne quid dubii subsit, manifestè probat *text. leg. unic. C. de famos. libell.* Ubi ei, qui per famosum libellum, atque ita sanè injurioso & illegitimo manifestandi modo, crimen detexerit, post ea se ipsum deferenti laus & præmium promittitur, modo veri fides assertis ejus opitulata fuerit. Nihil facit in contrarium *l. 5. C. de Injur.* in qua Imperator præter veri fidem, etiam convitij abfuisse consilium exigere videtur. Nihil enim ista
lex

lex habet de veritate objecti. Quippe *veri fides* hic veritatem designat narrationis à supplicante precibus suis comprehensæ, quòd convitii consilium abfuisset. Objicit Struv. *Synt. Civ. Tit. de Injur. §. 55.* A falsi criminis inculpatione injuriandi animus quomodo abesse potuerit, vix concipi. Resp. Defensionis causa, in calore dissidii vel ex justo errore & præcipitantia falsum homicidium objectum esse potuit. Dein etiam lex non necessario supponit casum talis homicidii objecti, quod revelari adhuc Reip. intererat. Hoc posterius etiam *ad art. 110. in fin. Const. Car.* rectè reponitur. Nam extra istum finem, modum diffamandi illum, qui fit famoso libello, maximè si diffamans non statim ultro se prodit & objecti criminis probationem offert, quod *l. unic. C. de fam. lib.* unà requirit, omni modo illicitum ac injuriosum esse nullus diffiteor, & infra pluribus notabo. (2) Singulare est quod hic etiam fama bene probata à fide dignis orta excuset à calumniandi animo, licet objectum probum dignè probari nequeat. Fab. *in C. de Inj. def. 5. ob rat. & aut. ibid. alleg.* Quamvis verò ad hanc *l. 18.* Doctores ferè verborum duntaxat casum respicientes de delicto primùm manifestando verba faciant, multis requisitis, sæpe citra legem & rationem, huc accumulatis; idem tamen sine dubio & de eo amplius deducendo aut coërcendo erit recipiendum, pariter ac de omni alia convitandi ratione, qua publicæ rei dignitas, fama, prosperitas decenter seu protegatur seu promovetur. per *cit. leg. rationem: interest Reip.* Quam juvat *lex 33. D. de injur.* Juris enim ille rigor, his casibus publicæ utilitati, quæ suprema in civitate lex est, cedit. Sic nemo ambigit, si quis seditiosa contra Principem molimina, et si jam manifesta, adversus alterum impiè defendentem, scelus esse sustineat, quin injuria sit absolvendus.

IX.

Explicatæ sunt præcipuæ causæ, ex quibus erumpens in alterum opprobrium veritate sua injuriandi consilium excludit. Non deesse putandæ & aliæ, quæ idem operantur, sed impræsens conquirere nimis tædiosum foret. Hoc solum in hunc globum convolvere expedit: Posse nihilominus in his & similibus casibus quandoque etiam animum injuriandi argui. (1) Si aliæ circumstantiæ & indicia vel etiam verba incivilia concurrant, ex quibus ille elucescit.

C

Richt.

Richt. Cent. Reg. Jur. 2. n. 28. & 62. Quod imprimis pertinet, si quod in iudicio convitium proferatur quod non facit ad propositum libelli, nec proferri causæ, de qua tractatur, necessitas exigit. Farin. cit. quest. 105. n. 239. & fuse ibid. laudat. (2) Si quis legitimos terminos in sui juris usurpatione vel alterius correctione enormiter prorsus excedat. arg. l. 5. §. 3. & l. 6. D. ad Leg. Aquil. & l. 32. D. de Injur. Harpr. ad dict. §. 1. Tit. de Inj. n. 14. & ad §. 11. n. 61. & seqq.

X.

Restat nunc dispiciamus, quid juris sit, opprobrio non ex causâ ejusmodi aliqua, sed aliâ simpliciter prolato, num ideo quod verum est, doli & injuriæ suspitione minus oneretur? Hoc quoque, nisi aliæ circumstantiæ dolum arguentes concurrant, puto affirmandum, imprimis si non in rixa cum adversario quid illi probrosum objicitur, sed familiari discursu cum aliis extra partes constitutis facinoris solum qualitas declaratur. Quid enim hoc vitii sustinet, bona fide appellare rem uti est, scapham scapham & asinum auritum? Suadetur (1) quoniam sine vera sensorum animi rei que ipsius declaratione evitari non potest. Idem (2) *Logica Vocum indoles & finis* demonstrat. Illas omnes ideo inventas esse constat, quo res representent uti sunt. Quo officio suo naturali fungentes, etsi rem malam designant, hoc solo & nisi moralis aliqua falsitas, malave intentio subsit, non utique delictum incurrere poterunt. Naturale enim nihil turpe. Quod si facta hominum inhonesta aut planè non aut non congruis & suis terminis exprimere liceret, posteriori casu alter alterius mentem non caperet, priori non solum magna verborum pars frustra foret, sed & hominum conversandi ratio insufficientis, certè ultra modum restricta, quâ virtutes solum aliorum non etiam malefacta sibi invicem enarrandi aut sermonem de iis secundum veri fidem instituendi jus foret, quod in libera Repub. ubi non ad instar atatis Tiberianæ oris periculum est, hætenus fuit inauditum. Subscribit (3) *ratio Ethica*: Alioqui enim vitia virtutum nomine forent cohonestanda, quod omne inter colloquentes ingenuum orbe expellet, nihil non simulationis & dissimulationis plenum efficiet. Urget (4) & *ratio Civilis*: Frustra jus nostrum sua delictis nomina statuisset. Frustra turpis famæ notam illis injungeret,

B

geret, & quidem in poenae legitimae partem, l. 1. C. ut intra cert. temp. §. 2. l. de poen. tem. litig. si tamen communi sermone honestè & sine injuriæ periculo vix appellare licet; imo si ne tum quidem licet, ubi res poscit; quod jura non improbrare patet ex l. 9. l. 10. C. de injur. l. 3. C. de offic. Rect. prov. & sim. Conspirat l. 15 §. 15. D. de injur. Ubi planè si quis virginem meretricia veste vestitam meretricem appellasset, nihil peccasse dicitur. Accedit (5) Omne verbum indifferens, quod potest significare injuriam, vel non, esse in meliorem partem accipiendum, quâ doli præsumptio evitetur. arg. l. 42. D. de poen. & l. 51. D. pro soc. Harpr. & allegat. ad §. 1. l. de injur. n. 70. & seqq. Verba autem rem aliàs turpem designantia, nunc indifferentia facit fundamentum veritatis & conformitas objecti; quia sane æque rei exprimendæ, quam contumeliæ inferendæ causa dicta esse possunt. Ex his judicium esto de duobus rivalibus aut ejusdem officii competitoribus, quorum alter vera alterius vitia & defectus indicavit. Non injuriandi enim animo, sed quò licite sibi prodesset, bona fide rem appellavit, uti erat. Conf. Far. dict. quest. 105. uum. 233. & Tulden. cit. tit. de Inj. n. 5. Idem Medici jus est, ægrum aliquem leprosum aut morbo Gallico infectum edicentis; Idem & Jcti, considerata facti specie, furem aliquem pronunciantis, latronem, adulterum, qui erat. Nullo enim convitii consilio, sed quò talem secundum artis suæ regulas deprehendebant, fecisse videntur. Quod si consulti responderunt, tum vero & si erraverint, & vitium falsò impegerint, ab injuria liberantur. Nam artis suæ, quam profitentur, exercendæ causa dixerunt; l. 15 §. 13. D. de Injur. Harpr. ad §. 11. Inst. de Injur. n. 51. 54. & seq. Hoc denique non possum, quin annotem; injuriæ rationem maximè videri cessare in designatione facti notorii, quando omnium in ore est, & fortè etiam jam publico judicio delatum. Quod ex parte etiam adverterunt Peretz. dict. tit. de Inj. n. 6. & Fab. in C. eod. tit. def. 5. sic homicidæ cædis accusato nemo injuriarum tenetur, si homicidam esse & scelestum facinus commisisse dixerit, etiam extra judicium inter familiares. Nam publicam vocem adjuvare voluisse censetur, non peculiare convitium dicere. Nec alter in illa re jus sibi non tribui queri potest, quam eum per manifestam injuriam egisse tum maximè Judex & omnes homines loquuntur.

XI.

Cum vero hominis vitia alia sint *natura*, alia *fortune*, *vita* denique seu *morum* alia: specialius verbo inquirere expedit; quid de vitiis illis naturæ videatur: num ejusmodi aliquod in alterum proferens, veluti si luscum, si claudum, si mente captum dicat; simili innocentia præsumptione adjuvetur? Mitiùs adhuc de his quàm de objectis probris Doctores aliqui sentiunt, imprimis Tulden. *ad C. tit. de injur. n. 6.* & *Matth. de Crim. dist. vi. n. 3.* ratione nisi, quod justo dolori non mollibus affectibus leges medeantur; neque ulla contumelia videatur, audire id quod apparet. *Senec. de Constan. 10.* Addit *Math.* ut injuria verbis facta esse dicatur, requirimus, ut aliquid probrosum objectum sit adversus bonos mores civitatis. Atqui calvum, luscum aut claudum esse, neque naturæ neque moribus civitatis probrum est. His ego ut adstipuler adduci non possum, persuasus, multo adhuc gravius peccare illum, dummodo non animo injuriandi caret, qui naturæ vitia alicui exprobrat, ac qui eum onerat vero probri encomio: quia illa evitare, in ipsius potestate non fuit; hoc, cur sibi attraxerit, justè ei imputatur. Nec ulla justa esse ratio potest alterius defectus sine causa detegendi, quod inhumanum est & injuriosum: *l. 2. in pr. §. quid enim, C. Quando & quib. 4ta pars.* Non etiam refert, probrosum non esse, cum ad injuriam sufficiat, esse contumeliosum. Prætor enim & quæ pudorem alicujus iniquè onerant, quæve solùm ad ejus invidiam pertinent, injuriæ nomine complectitur. *l. 15. §. 27. D. de injur. l. 5. in fin. D. Qui satisd. cog.* Unde, ratione animi injuriandi, idem prorsus jus in his naturæ ac illis morum vitiis agnosco. Nec fortunæ defectus excipio; ut si quis te pauperem, humili loco ortum, vel illegitimè natum pronunciet. *arg. cit. l. 5. Qui satisd. cog.* Utrobique enim eadem argumentorum, quæ supra intendi, vis & ratio urget: omnis generis vitium, tum demum, cum apparet, aut probari potest, bona fide absque animo injuriandi prolatum videri.

XII.

Est tamen & hic subjicienda necessaria limitatio; valere, nisi ex actus circumstantiis aut aliis intervenientibus indiciis animus injuriandi innotescat & colligatur. Quæ si non sunt sufficientia, pro re nata

nata juramentum purgationis litem dirimet. l. 6. §. 5. D. de his qui
not. c. fin. in fine extra de jurej. Carpz. Pr. Crim. 2. quest. 67. n. 6. &
seqq. Ut (1) si quis probrum non nudè proferat, sed in conten-
tionis calore citra necessitatem omnemque datam occasionem ini-
mico objiciat; maximè si naturæ aut fortunæ vitium sit quod tali-
ter exprobratur. l. 5. C. de injur. (2) Si quis iterum iterumque re-
petitis convitii ictibus aliquem subsannet. V. g. claudus es, clau-
dus, mente claudus pariter & claudus corpore toto. Maximè (3)
si quis ejusmodi ingeminationibus in platea transeuntem comitetur:
Adulter, adulter, hem adulter, quo vadis Domine adulter? Huc
pertinet exemplum, quod habet Math. de Crim. tit. 4. num. 2. In-
idoneum debitorem appellare, non est convitium: sed facere id in
publico, & cum clamore: cedo fœnus, redde fœnus, fœnus red-
dite, daturi ne estis fœnus actutum mihi, date mihi fœnus, convi-
tium est. Sæpe enim quod sua natura non est contra bonos mores
civitatis, locus & modus efficere possunt, ut convitium sit. Qua-
ratione (4) huc etiam referre est modum objiciendi contumelio-
sum, qui fit literis publicè affixis aut in vulgus sparsis; vel car-
mine famoso composito & disseminato; nisi fortè id fiat criminis
Reip. manifestandi gratia; de quo supra. (5) Denique fallit, si
vitia non suis, sed planè incivilibus & mere ad injuriam excogita-
tis nominibus exprimantur. E. gr. pauperem mendici, luscum cæ-
cilix, einer blndschleichen / parvæ staturæ hominem Pygmæi nomi-
ne insigniendo; quo & pertinet humili loco natum si ex stercore
prodiisse dicas.

XIII.

Sic satis de *animo injuriandi*; Restat ut de *lesione contumeliosa* ad-
damus. De hac circa convitium verum apud Juris Autores nil quic-
quam peculiariter notatum reperies; forte quia in rem præsentem
nihil discriminis ex veri falsique momento advertere sibi visi sunt.
Si tamen inter jurium pericula non quò itur, eundum est nobis,
sed quò justitiæ trames ducit; non, spero, præcipitiis locus erit, si
mentem distinctione exponamus, tritâ illâ, inter delicta moralia
& naturæ fortunæque vitia. Prioris generis, si cui merito objician-
tur, veri fides non patitur, ut illi læsio aliqua honoris, quam con-
tumeliam communiter appellamus, obvenisse censeatur. Nam (1)
nominis

nominis existimatio delinquendo consumitur. l. 1. l. 22. D. de his
 qui not. inf. l. 8. l. 20. C. eod. Lædi ergo convitiis honor nequit,
 qui non est; saltem ea parte, qua deficit. Privatio enim præsup-
 ponit habitum, & sit oportet, quod passione afficitur. Ita si adul-
 terum voco, quem acta publica talem testantur, non utique is illi-
 batæ conjugalis fidei honorem in se læsum acerbè queri potest,
 quem pridem patrato scelere suum decoxit. Nec ad rem facit, quod
 objiciat quis: nunquam, nec falsi criminis exprobratione, everti
 intra nos boni nominis decus, externæ duntaxat æstimationi deesse
 illum, qui injuriam nobis inferre dicitur. Cujus in cortice honoris
 damni noxius æque ac honestus capax esse videtur. Etsi enim hæc ita
 sunt; facile tamen apparet, honorem illum externum, intrinseca ho-
 minis existimatione velut fundamento suo niti, ita ut qui hac desti-
 tuitur, illum minimè prætereundum possit; maximè cum jus nostrum
 criminosis illud damnum denegatæ in Rep. æstimationis, in pœnæ
 vicem addicat. lb. ante cit. & tot. tit. D. & C. de his qui not. Idem (2)
 comprobatur jus quondam servorum, de quo §. 3. l. de Injur. Servis,
 inquit, autem ipsis nulla injuria fieri intelligitur. Quam quæso ob cau-
 sam? nisi quod servi nullam existimationem civilem habent, quæ
 imminui possit, cum jure civili pro nullis habeantur. l. 32. D. de
 R. J. Harpr. & DD. commun. in comm. ad dict. §. 3. Quod porro
 etiam insigniter declarat l. 15. §. 44. D. de injur. ubi ostenditur in
 concedenda injuriarum actione respiciendum esse ad servi qualita-
 tem. Etenim multum interesse, qualis servus sit, bonæ frugi an
 qualis qualis. Et quid si comepeditus foret, vel malè notus vel notæ
 extremæ? Sic itaque Prætores aut permissurum actionem aut de-
 negaturum. Quorsum hæc? nisi ut declarent, hominem nullo ho-
 nore usum, nullius imminutione affici posse. Huc pertinet, quod
 meretrix, etsi benè pulsando verberandoque, contrectando ta-
 men injuriam pati minimè possit. l. 22. & l. 27. C. ad Leg. Jul. de
 adult. Theod. dict. c. 2. apb. 15. n. 2. Pudicitia enim honore exci-
 dit, quæ aliqua ejus læsione tangeretur? Quid? quod l. 18. D. de in-
 jur. & l. unic. C. de famos. libell. dum nocentem infamare permittunt,
 & ipsæ hac maximè ratione niti videntur, quod opprobrii plenus
 jam sit, qui crimen, famosum præsertim, admisit; ita ut dum con-
 vitium dicitur, existimationi ejus nihil aut parum decedere possit.

Verba

Verba sunt Math. dict. tit. n. 8. in fin. Non possum (3) quin has in partes etiam traham Prætoris edictum, quod ille in caupones aleatorum receptatores vibrat: *Si quis, inquit, eum, apud quem alea lusum esse dicetur, verberaverit, damnumve ei dederit, sive quid eo tempore dolo ejus subtractum est, judicium non dabo.* Qui sic? nisi quod in foedo homine famæ pudorisque damnum non putavit. Subjicit *ibid. in com. Brunnem. ex Groenw. de LL. Abr. Levem injuriam, quam convitium esse auguror, hujusmodi cauponibus illatam ob vilitem personæ hodie quoque à judice esse spernendam.* (4) Quanti & illud est? Magistratus pœna hominem famæ honore exutum contumelia amplius onerare, si maxime vellet, non posset. Infami enim famæ damnum non est injuria. *l. 2. C. ut intra cert. temp. crim. quest.* Quomodo privati oris convitium faceret? Et (5) quæso te: homo probrosus læsi honoris damnum à judice dignè æstimare jussus juxta §. 7. *l. de inj.* quantum eo nomine convitianti in rationes imputaret, quidve pretii expeteret pro re denuo vendita, quam delictum jam pridem ipsi abstulit? Illud (6) non possum, quin in hunc globum denique convolvam: Male audire delictorum esse proprium, quo sublato, frustra jus nostrum turpibus probris infamix notam infligit, idque in pœnæ legitimæ partem *l. 28. §. 1. D. de Pœn.* si tamen in communi sermone, illa æque honestè sunt tractanda quam virtutes.

XIV.

His ita demonstratis, ubi porro reputaveris, ad hoc, ut quid injuria factum esse censeatur, similiter ut in aliis delictis dolosis, duo conjunctim exigi: nocendi consilium & damni ipse eventus. §. 3. *l. Qui & ex quib. caus. manum.* oppido inde conficitur; opprobrium, quod verum est, regulariter probroso injuriam non esse etiam si de injuriandi animo à parte agentis constat; quia in patiente nulla ea parte honoris existimatio adest, quæ convitio lædi ac imminui possit. Nihil valet, quod communiter urgent: non dicti qualitatem, sed malitiosum animum & convitiandi libidinem esse spectandam, quæ utique vitio non vacet. Nam si hoc dicunt, pravam illam intentionem sufficere ad constituendum injuriæ delictum, oppido falsum dicunt. Requiritur enim & contumeliæ in objecto eventus. *arg. §. ult. l. de injur.* non minus quàm in furto, §. 8.

§. 8. l. de oblig. qua ex delict. l. 43. §. 5. l. 16. D. de furt. Confundunt illius conscientiae cum jure fori. Illud & intentionem punit. Hoc nisi eventus respondeat, saltem in delictis privatis actionem non habet.

XV.

Omnino tamen opus est, ne injuriosis hominibus nimis malitiae laxasse vibulam videamur, ut doctrinam nostram declarem: (1) non illi esse locum in exprobratione criminis, quod Princeps delinquenti remisit. Principis enim gratia non poenas duntaxat delictorum, sed & delicta ipsa extinguit, & facta civiliter quasi infecta reddit. l. 2. C. de gener. abolit. l. ult. in fin. C. de sent. pas. & rest. dummodo hac mente fuerit is qui remittit vel restituit. l. 1. & 2. D. & ibi Brunnem. l. 1. C. de sent. pas. & rest. Idem (2) haud dubie obtinet in crimine per torturam purgato, cujus quondam reo non sine injuria exprobratur, quod carnificis manus subierit. At quid (3) de crimine, pro quo delinquens constitutam legibus poenam sustinuit? Distinguendum censeo: Ubi criminis infamia cum poena definit, ut in l. 3. C. ex quib. caus. inf. l. 5. D. de Decur. illius obductum vulnus citra injuriam non refricatur; si quidem injuriandi consilium subest. Poena enim expiatum est, quam qui persolvit, habetur pro absoluto. arg. l. 7. in fin. D. de jure Patron. Secus est, quando, ut fit regulariter, post supplicium ejus labes, infamia edurat, quae & ipsa in jure poenae legitimae partem sustinet. dist. l. 5. D. de Decur. l. 15. D. ad Munic. Nec enim honori laesio contingere potest, quae ille nullus est. (4) Non toleramus illum, qui indefinenter vexandi & exagitandi gratia, iteratis & compositis ad contumeliam verbis miseri hominis mentem excruciat; Nec (5) licitum est, famam alicujus quantumvis crimine verè commisso, famoso libello publice prostituere. art. 110. Constit. Car. excepto casu ubi crimen revelari Reip. interest. Cujus utriusque una ratio est: quod leges infamiae illam mali vim non indiderunt, qua cuique licentia foret, quovis modo in hominem grassandi, ejusque pudorem aliis exponendi; quod proinde si fit, graviolem quis inter cives aestimationis suae afflictionem patitur, quam qua jura ipsum onerare voluerunt.

XVI. In

XVI.

Innoxia, quod attinet, naturæ fortunæque vitia, etsi apparent, nihil tamen probrosi inferunt; Fieri itaque nequit, si quidem animo injuriandi objiciantur, quin damni eventus in patiente respondeat, isque injustè se contemni sentiat & queratur. De quo jam retro actum est pluribus.

PUNCTUM II.

DE EFFECTU.

Quæ actio pro vero convitio competat.

I.

NULLA competit iis casibus, quibus veritas convitii ab injuria liberat. Quod quando sit, præcedenti reputatum tractatione est. Cum illo itaque vero convitio impræsens nobis res est, quod injuriæ indolem sustinet. Mirum si hoc quoque natura sua omnes alterius injuriæ verbalis effectus sustinet. Duplici modo injuriarum agi potest: *Civiliter & Criminaliter*: hic ad delicti vindictam in ære aut corpore à reo sumendam; ibi ad consequendam injuriæ sibi illatæ æstimationem. §. 7. & 10. *Inst. de injur.* Alterutrinque condemnatus insuper & infamis fit. l. 1. *D. de his qui not. infam.* Mores duo adhuc alia remedia introduxerunt: alterum *Judiciale; actionem ad Palinodiam*: Extrajudiciale alterum; *Retorsionem Injuriarum*. Ubique veritas nostra vim suam exerit, notabili differentiâ subinde inducta.

AB

Ubi non est

Actio, ibi non

est actio, ubi non

est poena

II.

Primo injuria vero convitio illata, à Judice, cui hic moderandi jus est, longe minoris æstimatur quàm falsa, & tantum non ad modicum redigitur; *arg. art. 110. in fin. Const. Car.* Nam (1) honos delictis delibatus non æquale utique pretium cum integro sustinet. (2) Ipsa persona delinquendo vilior evasit. Levior proinde æstimatur, quæ in illam injuria prorupit. *arg. §. 9. Inst. de Injur. & l. 15. §. 44. D. eod.* Quin & (3) levius merito convitium est censendum, in quo animo duntaxat, quam ubi & rei simul difformitate peccatur. *arg. dict. §. 9.*

D

III. Porro

III.

Porro etiam in actione criminali convitii pœnam ejus veritate imminui, eadem, quæ suprâ, rationes arguunt. Quod in tantum obtinet, ut pœna quoque famosi libelli, veri, si quod objectum est, criminis intuitu mitigetur. *cit. art. 110. Constit. Carol. Struv. Synt. Civ. Exerc. 48. §. 71. Carpz. Pract. Crim. quest. 98. n. 40. & seq.* Prorsus enim æquum est, mitius puniri illum qui in modo tantum peccat, quam qui in modo & re simul. *Befold. disp. 1. de injur. thes. 14.*

IV.

Infamiæ quoque notam ex vero convitio in eum, qui illius damnatus est, nullam redundare merito dixerim, ratione motus: tum quod veritas facit hanc injuriam levem censerî, cujusmodi injuriantem infamia non onerat; *arg. l. 17. §. 3. & l. 40. D. de injur.* Et fusè *Harpr. ad §. 10. l. n. 93. & mult. seqq.* tum quod minus turpiter & dolosè agit; qui veri probri quasi fœtore concitatus ad illi maledicendum prorumpit.

V.

Præterea etiam veritas convitii à palinodia liberat, ita ut ejus gratiâ actio plane cesset. *Sande Dec. Fris. lib. 5. tit. 8. def. 7.* absurdum enim, ut qui verum dixit, veritatem revocet, seque mentitum esse non absque mendacio profiteatur *Covar. lib. 1. res. c. 11. n. 6. vers. sexto. & vers. 8. Farinac. sepe cit. quest. 105. n. 74. & seq.* At quid juris in deprecatione? si atrociori injuriandi modo actum sit, maximè contra virum in dignitate constitutum, quare hæc injungi non posset, causæ nil video. Non enim natura rei, ut in Palinodia repugnat, cum convitii veniam precari omni modo pium sit & laudabile.

VI.

Tandem id quoque constat, in omnibus iis casibus, ubi actio injuriarum pro vero convitio competit, tamen Retorsionem veritate excludi. Estque hæc recepta Doctorum sententia apud *Harprecht. Com. in Inst. ad §. 12. l. de Injur. n. 179.* Quia sanè re-torquens hîc non potest innocentiam & honorem suum salvare, alteri objiciendo, quod mentiatur; cum is sc. verum dixerit; quod
tamen

tamen retorsionis anima est & fundamentum, cui innititur, & ob quod unice licita defenditur. Ab hac tamen communi opinione singulariter recedit Struv. *Tract. de vind. priv. c. 10. aph. 7. n. 3.* ob rationem: quod etsi tali retorsioni non possim inserere, alterum mentiri, tamen alio modo retorquere liceat, forte hoc: Ita tu hæc mihi objicis ut scelestus calumniator. Verum hæc sibi minimè constant, Nam (1) Retorsionis ipsa forma & ratio essentialis, qua in Rep. valet & toleratur, consistit in merâ existimationis suæ defensione, dum alteri convitianti retorquendo fides adimitur & idcirco nostram æstimationem ab ipso velut mendaci lædi non potuisse declaratur. Vid. hoc fundamentum expressum ab ipso Struv. *Syntag. Civ. Tit. de Injur. §. 62. verbis: fidem ejus elevando existimationem suam conservat.* Idem in *dict. tract.* maximè *aph. 6. n. 20. & passim* inculcat; & pro sustinenda retorsione contra dissentientium argumenta, eò velut ad sacram anchoram identidem confugit. Conspiciant magno agmine Doctores qui in hoc unice retorsionis formam & æquitatem collocant: Tu mentiris; præter eos quos hanc in rem catervatim ipse citat Struv. *loc. alleg. n. 10. & 16.* imprimis B. Pruckman. *Vol. 2. Conf. 15. n. 85.* ubi monet: Illis duntaxat verbis esse utendum quæ ad amovendum crimen ingeminatum, consequenterque imminuendam injuriantis fidem usui esse possint, &c. Ita jure non refragante rectè quem dicturum: Tu falsa eloqueris; Tu vera non dicis; vel etiam Tu mentiris. Et urget (2) ratio: Nam si quis non ab objecti convitii falsitate atque adeo insitâ illius natura retorsionis suæ vim & formam depromit; ab extero igitur delicto aut alio inefficaci probro illam depromat necesse est; quo tamen non tam ab intentati convitii insultu se defendit, quam aliud planè novum in ultionem reponit; sicque retorsionis modum manifestè excedit. Quare & si alicui *furem*, v. g. te appellanti Tu rege- ras hoc eum loqui *ut convitiatorem vel calumniatorem*, nisi sub hac voce objecti sceleris falsitas implicite intelligatur & arguatur, satis paret, eâ Te tuum honorem minimè salvasse, quia non exinde quod ipse dictus est convitiatore vel calumniatore tu fur audire desinis, cum & verum convitiando dixisse potuit, quandoquidem veritas & convitium benè una consistunt. Idque idem passim Doctores

D 2

confir-

confirmant, quos tantum non innumeros congesserunt laud. Pruckm. & Struv. *loc. modo alleg.* Idem (3) infert retorsionis finis, cujus gratia illa est, existimationis sc. nostræ conservatio; Sed illum conservare est impossibile, nisi jure dicere queas, convitiantem mentiri. Si enim verum dixit, idque tu, quod ipse dixit, non negare ausis; quomodo quæso honorem tuum servasti? Adhæc illud verè conservari dici nequit, quod non adest, nec honos à crimine objecto salvus retineri, qui per illud, cum patrares, reapse est detritus. Nec (4) sequitur ob verum crimen posse in judicio injuriarum agi. E. & retorsionem institui; cum manifesta subsit differentia ratio. Judicium enim præter honoris reparationem etiam ad pœnam & injuriæ vindictam procedit, quas respicere Judici licet, privato non item; sed si quis retorsione sua aliud quam existimationis suæ defensionem sibi habet propositam, sine dubio peccat. Sanè verò & in judicio honoris verè amissi reparatio est impossibilis; Unde & est quod in illum qui verum convitium dixit, nulla recantatio quadrat; prout retro exposui. (5) Argumentor: si convitium verè objectum retorsione repelli potest, id fiet aut hac formula: *Tu mentiris*; aut hac: *Ich wil hiemit die angezeigete Injurien retorquiret haben / dergestalt und also / daß ich ihn so lange davor halte / biß er auf mich / wie recht / dergleichen erwiesen habe.* Has enim binas formulas Doctores duntaxat proponunt, & ex iis Dn. Struv. *cit. aph. 10. n. 2. & seqq.* Atqui neutra vero convitio quadrat; non prior quod est in confesso; nec posterior; cum delictum de quo constat, notoreitate sua satis sit probatum. Ergo id restat, quod tale convitium retorsione repelli non possit. At dicit laudatus Autor, se extra ordinem formulam huic casui aptam præscripsisse. Qualem ergo? Tu hoc dicis ut scelestus calumniator. Oppido quam inteliciter! (1) Enim illatam injuriam malignitate sua longissime excedit, cum sanè nihil falsius nec iniquius sit, ac quem scelestum Calumniatorem esse & appellari, dum liberè verum dixit. Qualem vocares, si falsa objecisset? Id verò (2) ridiculum est putare, quasi scelesta Calumnia mitius quid sit, quàm mendacium, & non falsitatem ac mendacium pleno ore inferat. Sic omnes homines utuntur ad perniciosissimum & non vulgare mendacium hoc termino designandum.

gnandum. Ita in jure nostro calumniari est falsa crimina scienter intentare, l. 1. §. 1. ad SC. Turpill. & Tor. Tit. D. & C. de Calumn. deficiente ipso Struvio Synt. Civil. illo titul. Qua ratione ipse Salvator Mendacem à principio, cum pleniori non posset, Διαβόλος ἀνθρώπων, Calumniatoris & mendacis, ὅς ἐν τῇ ἀληθείᾳ ἔχ' ἔστικε, appellatione insignivit. Joh. c. 8. n. 44. Et (3) quid multa? veri fides in Convitiis à calumnia nos defendit. disert. l. 5. C. de Injur. Quicquid sit de his & similibus formulis: Si quæ honorem læso digne conservare volunt, omnes esse tales convenit, ut convitium fallitatis arguant, id quod ex retorsionis ipsa forma & fine paulò ante eduximus. Hæc sunt quæ de utilissima & elegantissima veri convitii materiâ impræfens volui, potui:

IN SOLIUS DEI GLORIAM!

COROLLARIA.

1. **T**uramentum metu extortum absque læsione conscientia licitè destituitur.
2. Tutor nomine pupilli pecuniam mutuum accipiens, sub hypotheca omnium bonorum suorum etsi chirographo nomen suum subscripserit, ad debitum tamen solvendum ipse non tenetur, nec ipsius sed pupilli bona obligata esse censentur.
3. Ministro publico extra causas ad officium ipsius pertinentes fides non debetur.
4. Jurisdictio in genere concessa non intelligitur superior, nisi de ea manifeste constet.
5. Osculum Virgini invita infixum injuria non censetur.
6. Principi jus aggratiandi competit etiam in delictis sanguinis pœnam inferentibus.
7. Princeps legibus civilibus solutus est, tam quoad vim directivam quam coactivam.

F I N I S.

Mira facis, PEYERE doces convitia, lex quæ
 Non plectit, tum quæ, pœna maligna manet.
 Hæc aliis famam minuunt, Tibi crescit & inde
 Fama, Tuæ laudes dexteritatis habes.
 Gratulor, & jubeo, pergas feliciter artes
 Excolere, est Mors hæc, nunc didicisse nihil.
 Maeste igitur! labor hic Tibi nunc & proderit olim
 Conferet & Patriæ commoda multa Tuæ.

*Nobilissimo Domino Respondenti Disci-
 pulo etiam suo monumentum
 amicitie*

L. M. Q. P.

GERH: Von MASTRICH,
 Jur. & Hist. Prof.

S bricht dan / wehrer Freund / auch seiner Sinnen blühte
 In volle ähren auß! Sein reiffes Kunst-gemühte
 Greife nun der händen schweis mit frohen händen an /
 Und Erndter armen-voll / was vor war außgethan.
 Sein unverdroßner steiß / so manche liebe stunde /
 Worin sein wackerer Geist der Rechten Klugheit funde /
 Hebt ihn nun Wolcken-an : den edlen Sternen-glanz
 Zu flechten mit der zeit in seinen Ehren-Krang.
 Da liegt sein kluges werck / worauß die Blumen spriessen /
 So ihren lust-geruch ins weite Feldt ergiessen
 Des wehrten Vaterlands / also sein Nahme gilt /
 Und sein verhofftes Glück auß reichen Adern trill't.
 Sein fröhdes Laster-maul kan ihn mit wahrheit rühren :
 Wird nur des Himmels gunst auch seine sache führen /
 So leg't mein Hergens wunsch ihm tausend Seegen bey :
 Er lebe wol in Gott / von Unglücks-fällen frey!

*Ein wehrer geschickter Freund und Auditori setzte dieses auß
 wo.meinendem gemühte / mit hand und mund*

WILH: CRUSIUS, D. & Praeses.

*Meritum hoc Honoris argumentum doctissimis Germanis-
simi inter ceteros Auditoris sui conatibus, cum:
de Convicio quod verum est: publicè dispu-
taret, sine mendacio subicere voluit*

A. BRAND, U. J. D. & Profess.

E *Se^a Aliquid primùm Convicia posse negabam.*

Tu contrà: ^b Verum posse subesse putas.

*Hem! Verum hoc Nihil^c est. Convicia, ^d dicis. An ergo
Vocalis^e vulgo Musica forsan erunt?*

Forsan erunt. His Pœna^f tamen subnectitur à Te.

Esse Aliquid, doctè, dulcis Amice, Probas.

^a. Vitium Academicis non ens. ^b. Peripateticis ens unum, verum, bonum. ^c. Convicia spreta exolefcunt, ubi ad animum revocaveris, agnita videntur. Tacit. ^d. Convicium à Convocio Grammaticis dictum. ^e. Nihil improbis dulcius, quàm calumniarè audacter. ^f. Calumniatores in Rep. non ferendi.

A *Nte dies paucos generosâ Nobilitate,
Stipatus solus tollebat cornua Mavors.
En tumidum! Torvos oculos jam dejicientem!
Quot non irarum volvit sub pectore fluctus?
Gloria dempta. Themis quoque multâ nobilitate
Cingitur, & multi fugiunt ad Apollinis aras.
Et Tu Mavortem, MI CANDIDE AMICE, relinquis!
Gratulor Astræ: succedant omnia gratè!*

*Sic Pranobili ac Doctissimo Domino Respondenti
Amico suo suavissimo gratulabun-
dus accinebat*

ARNOLDUS HEINIUS;
Cassellis - Cattus.

Horrida belligeri non jacto prælia *Martis*;
 Candide PEYERIDES, Te mea *Musa* canit,
 Cum Tuus ingenii radians in corporis umbra
 Ardor, ut in rutilo Phosphorus axe, micat.
 Hoc documenta probant Tua quæ facundia linguæ
 Exhibet: hinc moriens non moriere tamen.
 Digna feres tandem sero memoranda Nepoti
 Præmia, quod calamus, quod mea lingua vovet.

*Ita in honoris & amoris tesseram Pereximio, & Pra-
 stantissimo Dn. Respondenti, Commensali
 suo charissimo ex animo*

Canebat

THEODORUS KRUYTHOFF,
 Noviomago - Gelrus.

spe & Metu.

Sunt variæ causæ, quæ pellunt nos ad agendum;
 Harum præcipuam, tenerem puto, finis *amorem*.
 Sedulò quid quæras? quid *ames*? PER-DULCIS AMICE,
 Omnibus hoc doctum certamen notificabit.
 Sancta Tui *Themis* est nimirum finis *amoris*.
 Castus *amor*. Castè sic perge, ut *ameris amando*.

*Hæc paucis Pranobili ac Doctissimo Domino
 Respondenti, Amico suo Charissimo
 applaudere voluit*

JOH. CHRISTOPHORUS HEINIUS,
 Hasso - Cassellanus.

Duisburg, Diss., 1661-33

(1)

ULB Halle

3

004 527 046



Sb

107



Farbkarte #13

B.I.G.

ET CONVITIO!
JURIDICUS,
1685
O QUOD
EST;

103

9

Injuria

DE
no ac Consultissimo,
O CRUSIO,
que in alma Electorali
Feutoburgi Clivo-
ffore Ordinario,
entilationi sistit,
DUS PEYERUS,
HUSIANUS,
is majori, ad diem
solitis.



HENUM,
S., Academ. Typogr.
XXXV.

